

[ma]ximosque macistr[a]tos l[uci palam post dies]
 [n]ovem castreis exfociont, Macel[amque opidom vi]
 5 [p]ucnandod cepet. enque eodem mac[istratud bene]
 [r]em navebos marid consol primos c[eset copiasque]
 [c]lasesque navales primos ornavet pa[ravetque],
 cumque eis navebos¹ claseis Poenicis omn[is, item ma-]
 [x]umas copias Cartaciniensis praesente[d Hanibaled]
 10 dictatored ol[or]om in altod marid pucn[andod vicet]
 [v]ique nave[is cepe]t cum sociéis septer[esmom unam quin-]
 [queresm]osque triresmosque naveis X[XX, mersel XIII].
 [auro]m captom: numei ○○○○DCC
 [arcen]tom captom praeda numei ○ C.
 15 [omne] captom aes ○○○○○○○○○○○○○○○○○○○
 ○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○ [pri-]
 [mos qu]oque navaled praedad poplom [donavet pri-]
 [mosque] Cartacini[ens]is [ince]nuos d[uxit in]
 [triumpod] eis capt

Romae in foro sub Capitolio, ubi Rostra fuerunt, rep. fragmentum marmo-
 reum nunc adservatum in Capitolio in aedibus q. d. Conservatorum (I 195. VI 1500;
 Ritschl tab. XCV; Huebner ex. scr. ep. 91). — Spectat ad C. Duilium cos. a. 494 qui
 Carthaginienses ad Mylas devicit, sed confictum est et lapidi incisum aetate impe-
 ratoria, fortasse sub Claudio, cuius temporibus litterae apprime creduntur convenire
 (Ritschl opusc. 4 p. 204 seq. = Priscae Lat. mon. ep. enarr. p. 82). (Sinceritatem tituli,
 quem aetate Augusti expressum putat ex antiquiore, tuetur Woelfflin act. acad.
 Bavar. class. phil.-hist. 1890 p. 295 seq.). Memorat hanc inscriptionem de visu Quin-
 tilianus inst. 1, 7, 12, columnam rostratam Duilii memorant praeterea Plin. h. n. 34, 20
 et alii. — Supplementa ordinavit Mommsen. De Segestanis obsidione liberatis et
 Macella expugnata cf. Polyb. 1, 24, 2 Zonar. 8, 11, de numero navium apud Mylas
 captarum Polyb. 1, 23, 7 Eutrop. 2, 20 Oros. 4, 7, 10. Vv. 15 seq. significatur ex
 praeda redacta esse aeris centena milia circiter tricies (certe plus semel vicies);
 morem antiquum affectans auctor inscriptionis notam ○ toties repetivit quoties opus
 esset. — 1) navebos lapis sed correctum ex navebus.

66 P. Scipioni cos., | imp., ob restitu|tam Saguntum | ex s. c. bello
 Pu|nico secundo.

Sagunti (II 5356; Huebner ex. scr. ep. 454). Scripta aetate imperatorum
 (saeculo secundo exeunte, ut olim, eodem incipiente, ut nuper iudicavit qui vidit
 Huebner). — De restitutione Sagunti cf. Liv. 24, 42, 10. 28, 39.

67 Cornelijus | Scipio | Cartha|gine | capta.

Ad lacum Fucinum in oppido S. Benedicti, ubi fuit Marruvium Marsorum,
 rep. a. 1880 (IX 6548). — Haec ficta est non nostris temporibus, ut putabat Henzen
 (Bull. dell' Inst. 1882 p. 35), sed aetate imperatorum, scilicet apposita ad signum,
 quod fama sive vera sive falsa ferret ex praeda Carthaginiensi donatum a Scipione
 (Mo.). Sincerum titulum signi a Scipione donati vel potius restituti Thermitanis
 in Sicilia, Graece scriptum, edidit Kaibel Herm. vol. 18 p. 156.